









1770.

1. Larber de Hörschen, Ignatius Christopherus : De iure formando  
proscriptio[n]um circa funda systemate
2. Ritter, Joannes Georgius : De conserva fundarum in generis  
et in specie de personis conservabili bus.

1777.

- Puelz, Georgius Thesaurus : De libertatis Imperialis  
suo et successorum fundatorem in parte sue vacua  
hanc a sumptuando.

1778.

1. Schott, Joannes : De legatis natis.
2. Ullhermer, Josephus : De agnato dominione verall,  
absentis et at nobiliti immediati curatore ab  
et residentes heretibus et mortibus rationes minime  
obligato, sed verallo ejus vel prole mascula haud  
retine fructus fundis suo faciente.



1787.

Ritter, James Georgius: De retractis feudis et gentiliis  
varius que circa eam controversia est gloriare  
et in spaciis <sup>nunq; is</sup> annis fidei et sub harta veritato  
totum obtinat.

1789.

1. Goemor, Nicolaus Thassaeus: De mutuo domini locato  
reali et sub locorum consensu omnibus tenetum et  
jouis exercitium contra observantiam anni  
normalis necessario et sufficiente.

2. Pfister, Carolus Melchior: De jure fecundorum  
extra cursum.

3. Stoff, Joannes: De privatione feudis ab ren-  
valionem iurisstitutis ex dolo aut culpa late-  
neglectam decernenda.

1792.

1. Pfister, Carolus Melchior: De certioris peribularium  
feudalium et collodialium in causa separations  
feudis et allodium.

2. Zorn, Cyriacus: De patriarchis.

1795

1. Zorn, Antonius: De aeris atmosphericis in corporis  
humani exfluxo et salutis et noxia.

2. Fick, Dr. Balth. Dominicus: De salubritate  
Bambergensis.

3. Pfister, Carolus Melchior: De imperfecto  
feudorum incipere.

1797.

- Zorn, Cyriacus: Societas ciuitatum Germaniarum et  
juriis religiosum conformatum Delinatio.



1795.2  
13

# DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE SALVBRITATE BAMBERGENSI.

QVAM  
VNA CVM PARERGIS EX VNIVERSA  
MEDICINA DEPROMTIS  
DEO TER OPTIMO MAXIMO AVSPICE,  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
SALVBERRIMAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA IMPER. BAMBERG. VNIVERS.

PRAE S I D E  
IOAN. BAPT. DOMINICO FINK

PHILOS. AC MEDICINAE DOCTORE, REVEREND.  
ATQVE CELS. S. R. I. PRINC. EPISC. BAMB. A CONSIL. AVL.  
HIST. LIT. PATHOL. PRAX. UT ET MEDIC. FOR. PROF. P.  
ETO. COM. PALAT. CAESAR. ACAD. ELECT. SCIENT. VTL.  
DICTAE SOCIO, PROVINC. BAMBERG. PHYSICO,  
FACVLT. MEDICAE ADSESSORE

PRO GRADV. DOCTORIS

EIQUE ANNEXIS PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS  
RITE CONSEQUENDIS


DEFENDIT, AC PUBLICO ERVDITORVM  
EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET DEFENDENS

IOANNES BAPTISTA KRAPP  
BAMBERGENSIS.

BAMBERGAE HORIS, LOCOQUE CONSVENTIS.  
Die Decembbris A. R. S. MDCCXCV.

Typis Ioannis Georgii Klietsch, Almae Vniv. Typ.



REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTOPHORO  
FRANCISCO

ECCLESIAE IMPERIALIS

IMMEDIATAE BAMBERGENSIS

EPISCOPO

OPTIMO PRINCIPI

S A C R V M.



ACRA

OTTOMITI PRINCIPI

EPISCOPO

EDITIONIS IMPERIALIS

IMMEDIATAE HAMMERENSIS

CHRISTOPHORO  
FRANCICO

DOMINO

SEPT. PRINCIPALIS OMNIA ET TUTA

SEPT. PRINCIPALIS OMNIA ET TUTA

A  
noti  
exig  
posit  
quas  
fecti  
diue  
Ipsar  
mod  
facil  
temp  
diag  
casib  
ferre  
arte  
ferre  
da lu  
bus C  
edit.  
bem  
opor  
tos C

PROOEMIUM.

A d medicinam faciendam, loci, in quo quis  
viuit, incolarum, eorumque vitae rationis  
notitiam simbolam suam conferre, eamque haud  
exiguam, res est extra omnem dubitandi aleam  
posita. Quotusquisque enim est, quem lateat,  
quasnam praeter naturales corporis humani af-  
fectiones regio, vitaeque genus, horumque pro-  
diuersitate itidem diuersas indies progignant?  
Ipsum quoque constitutio regnans, ad quam  
modificandam regio quam plurimum confert,  
facilius eruitur, si quis loci, quem incolit, situm  
temperiemque apprime nouerit; eam autem in  
diagnosi formanda haud negligi debere, inque  
casibus laruatis dubiis tuto saepo facem praefere,  
medicos adeat, qui dubitat. Viros in  
arte saluberrima insignes in testimonium pro-  
ferre hic ommittam, experientia indies facien-  
da luculenter id demonstrante; stet pro omni-  
bus Coks noster, qui in libr. de aer. aqu. & loc.  
edit. Laufann. pag. 3 ait: "Quare si quis ad vr-  
bem sibi incognitam perueniat, circumspicere  
oportet eius situm, quomodo scilicet ad ven-  
tos & solis exortus iaceat: Haec itaque dili-

A

genter

¶

genter oportet perscrutari, ac simul, quomodo  
habeant circa eam aquae. Terra etiam ipsa  
consideranda: Es his enim singula sunt inuesti-  
ganda. Nam qui haec omnia probe, quantum  
fieri potest, cognoverit, aut horum plurima,  
eum non latere possunt, quum in vrbem etiam  
sibi ignotam peruerterit, neque morbi regioni  
peculiares ac patrii, neque communis regionis  
natura, quaecunque tandem ea fuerit, ut non  
possit in cognoscendis morbis dubius haerere,  
aut errare, sicuti ad morborum medicatioinem  
adhibeat. Haec in causis fuere, cur Dissertationis  
meae inauguralis scopum vrbem meam  
patriam degerim, conuictus, boni ciuis esse,  
bona, quibus patria abundat, indicare, me-  
thodumque, bonis his omnibus recte vtendi,  
abususque, si qui fiant, exhibere. Describen-  
dis autem iis, ad forum medicum pertinentibus,  
manum in praesenti admouebo, contentus, si  
mihi contigerit, ad ciuium meorum felicitatem  
quidquam contulisse. Nimis fusa autem quum  
sit obiectorum exarandorum seges, ignoscet le-  
ctor, si quae omissa aut iusto breuiter delineata  
exspectationi haud respondeant; arcti quippe  
dissertationis limites fragmenta tantum, nequa-  
quam vero topographiam medicinalem pati-  
untur.

BAM-



  
BAMBERGAE SITVS GEOGRAPHICVS  
ET NATVRALIS, SIVE LOCA.

§. 1.

Posita est Bamberga in zona temperata, geographicā eius latitudo aestimatur 49 gr. 57m., longitudo 28 gr. 27m., vel a meridiano parisiensi 8 gr. 27m.. Situs autem sic emensus obseruatione astronomica nondum est stabilitus. Si ex mediis Barometri altitudinibus quolibet mense 20, & pluribus abhinc annis medium in 27 digit. 3 lin. mensurae gallicae ponatur, Bambergia 105 Tosias perticas hexapedas (Toises) supra mare mediteraneum iacet, iuxta formulam D. LAMBERT. \*

§. 2.

Hinc patet, cur vrbs patria tot tantisque felicitatis generibus abundet; constat enim, regiones in zona temperata positas, non tantum ad incolarum sanitatem conseruandam, sed etiam ad omnis generis fructus progignendos aptissimas esse; homines in iis plerumque

A 2

robu-

\* Beiträge 1ster Th. S. 465.

robustiores deprehenduntur, mixta aëris tem-  
peries animantibus aequa ac plantis fauet, ex-  
ulant animalia cum venenata, tum rapacia, nec  
frigoris nec caloris excedens gradus inimice in-  
colas afficit.

§. 3.

Vrbis Bambergae situs apprime arridens e  
qualibet coeli regione oculos gratissime afficit,  
eoque magis, quum pulcherrima obiectorum va-  
rietas visui sese offerat; totum vrbis ambitum  
fertiles ac iucundae montium plus minusue ab  
vrbe remotarum catenae cingunt, quarum una  
ab oriente ad meridiem, altitudine iugiter al-  
ternante, excurrit, occidentem versus ex ocul-  
lis euaneſcens. Ad catenae huius pedem Rech-  
nisiſ ab oriente occidentem versus vndas pla-  
cide mouet, & binis, in quaē extra ciuitatem  
disiungitur, brachiis vrbem permeat; infra vrbem  
brachiis iterum junctis occasum versus,  
haud procul ab vrbe ad pagum Bischberg, ami-  
cum cum Moeno connubium init. Altera au-  
tem catena, magis ab vrbe remota, orientem  
versus exſurgens ad septentrionem primo sese  
inclinat, curuata dein retro horizontem fugit.  
Septentrionem inter & occasum, magis tamen  
ad occasum transfluvium alia montium catena  
eleuatur, quae occasum versus euaneſcit, &

vi-

5

vineis culta gratum oculis spectaculum offert.  
Has inter montium catenas terra cernitur pla-  
na, culta, pagis omnisque generis frugibus lae-  
te superbiens; vrbs ipsa partim in planicie, par-  
tim in collibus exstructa duplicitis semilunii figu-  
ram prae se fert; vtrumque semilunium in par-  
te gibbosa iunctum medium vrbis partem conti-  
net, vtriusque vero crura suburbia, longis in-  
uicem interuallis exstructa, constituunt. Quo  
quidem vrbis nostrae situ non tantum ciuium  
deliciis, sed etiam eorum sanitati apprime con-  
fultur, sic vt naturam amoenum cum vtili  
gratissimo vinculo iunxisse non immerito quis  
affirmet.

ANNI TEMPORVM, AERISQVE CONDITIO.

§. 4.

Vrbis nostratis clima temperatum iucun-  
dumque est. Ver, anni temporibus rite sibi  
respondentibus, Februarii in medio, vel sal-  
tem eius in fine rediuiuum temperaturam ad-  
uehit serenam, modice calidam, alternatim-  
que humidam. Mensis Martius hanc excipiens  
siccus plerunque, borea spirante, asper, cu-  
tem crispat. Aprilis turbulentus & inconstans,  
coelo mox vrente, mox niueo, pluuioso, ven-  
toso. Maius zephyrum manu dicit, adultior  
factus

factus incolas vrit, arbores niueis vnde quaque floribus tegit. Aestas maximam partem siccus; Iulio & Augusto sirus feruet. Autumnus Septembris medio primordia capit, ad Octobrem adultiorem non raro serenus. Nouembre hiemis nuntii ianuam pulsant, pluviae frigescentes, turbines niuosi, tempestas alternans ad Decembrem usque. Ianuario frigus intensum plerumque, niues multae, fluuius glacie vindictus.

#### §. 5.

Verum anni tempora enarrato ordine sese non semper excipiunt; non raro enim ver prae-maturus calore iusto fortiore gemmas arboribus elicit floresque; sic Aprilis candida saepe arbores veste ornat, frigus autem insequens fertilitatis annuae spem inimice decerpit. — Aestas iam vrens, iam humidus. — Autumnus non raro praeponitus nubes aduehit pluviis graues. — Hiems saepe mitioris indolis, humida, blanda autumnum mentitur, noxam inferens sanitati haud mediocrem,

#### §. 6.

Quae quidem tempestatum annuarum vicissitudo inde ab inundatione Bambergae tam infesta ann. 1784 insigniter excelluit; illa enim abhinc funesta epocha aer noster magis humidus,

7

dus , coelum nostrum pluuiosum magis ; quae-  
libet anni tempora autumni mitioris laruam  
prae se tulere , aestatum calor neque vrens  
continuo , neque persistens , hiemes , elapsam  
si exceperis , nec siecae continuo , nec intense  
frigidae fuerunt. Maior autem inde ciuium  
sanitati , quam regionis fertilitati noxa illata  
fuisse videtur ; etenim coelo licet hac annorum  
ferie maximam partem pluuioso , sterilitatis ta-  
men notam regio nostra haud subiit ; ciuium  
contra sanitas male magis afficiebatur. Con-  
cessio etiam , morbos his annis frequentiores  
haud fuisse , morborum tamen character ad  
constitutionis regnantis genium magis accomo-  
dabatur. Sic morborum striete sic dictorum  
inflammatoriorum parcior seges , numerosior  
biliosorum , pituitosorum , rheumaticorumque  
numerus ; talis enim constans morborum reg-  
nantium character plures per annos inuenie-  
batur.

§. 7.

Aer noster passim purus , mitis , sanitati ad-  
modum conductus ; tantum enim abest , ut a  
nocuius urbis regionis exhalationibus con-  
spurcetur , ut potius ipsam natura aeris no-  
stri puritati materne consuleret. Quum enim  
regionis situs undequaque liber a montium vel

col-

collium magis catenis non tam arte circumvalletur, eadem ipsa crebrioribus iisque alternantibus ventis perfletur, domicilia non adeo excelsa, plateae ampliae nullum libero aëris meatui aggerem opponant, nulli striete sic diti lacus aërem inquinent, bina Rechnissii brachia, Moenique haud procul ruentis vndae patrum solum perfecent, terra vndique culta, frugibus arboribusque fertilis conspiciatur, auram persanam spiremus, necesse est, licet hinc inde grauis, crassus humidusque aër autumno paeprimis & vere primo nos occupet. Inde fit, ut subiectis siccis, macilentis, cum fibra tenui, facile irritabili aër noster arrideat, minus contra squamosis cum fibra laxa, quamquam temporis tractu nullum exinde hauriant detrimentum. Homines vel mediocriter ad obesitatem proclives facile obesi euadunt, ad quod quidem cereuisia nostra bene lupulata simbolam suam conferre videtur. Eadem ipsi salubri aëris temperie phthisici, adultiores praeferunt, vitae pondus, quod trahunt, solito longius debent. — Morbos endemicos iisdem ex causis non nouimus, epidemici raras admodum ciues inter strages edunt, morbi que sporadic, regnantis constitutionis proles non adeo mali moris deprehenduntur.

§. 8.



## §. 8.

Discriminis tamen aliquid atmosphaeram inter superioris inferiorisque vrbis deprehenditur; siccior, purior, salubriorque in superiore vrbis parte collibus innixa aer spiratur, humidior crassiorque in inferiore vrbis regione. Plures quoque in inferiore quam superiore vrbis morbi sunt obuii; sic maior febrium intermittentium numerus in inferiore quam superiore vrbis parte medelam desiderat. — Tristis epidemiae genius si regionem nostram flagellet, infesta primum manu inferioris vrbis incolas iugulat, lente colles ascendens, vel eos plane non visitans; id quod epidemia 1789, quae aliquam eamque egenam inferioris vrbis partem infestauit, luculenter demonstrat.

## §. 9.

Binas quidem vrbicas fossas quandam ciuium sanitati noxam inferre credere quis possit, eoque magis quum aquae stagnantes coelo humido austro increbescente vapores spargant foetidos pulmonum peripheriam prementes; verum in censum id vocari neutiquam potest: praeter frequentes enim lacuum horumce purgationes, quae Rechnisio, quocum aliquo modo iunguntur, vel paululum increcente

repe-

repetitis per annum vicibus contingunt, ipse met situs ventique alternantes vitium hoc emendant, quanquam inficias ire haud possum, hortos vel ambulacra publica ibi exstreuenda ornamento non minus quam emolumento fore. — Beatae memoriae Princeps editio, quo cadauera in templis contumulari vetuit, immortale sibi in humanitatis annalibus monumentum struxit; non raro enim eiusmodi in templis, aere cadauerofo inquinatis, graciliores, senes, reconualecentes animi deliquia perpetiebantur, intermittentibus febribus vix liberi morbi recrudescentiam nanciscebantur, fors a peculiari, quod LENTIN statuit, miasmate, intermittentium causa, ibi stagnante progenitam. Opu lenti quidem in coemeteriis vrbis templa cingentibus sepeliuntur; verum iam aliquot abhinc annis ecclesiastici aequae ac civiles, probae conditionis viri, in coemeteriis extra vrbem positis sepeliri se iubebant. Dummodo exempla haec plures sequerentur!

§. 10.

Coronidis loco tempestatum ventorumque adinuicem proportionem, qualis pluribus abhinc annis fuerat adiungere iuuabit. Calorem frigusque quod attinet, ab anno 1769 usque ad 1776 graduum frigoris intensissimi medium erat

erat 13, <sup>5</sup> gr. infra <sup>6</sup> iuxta thermometrum Re. aumurianum mercurio repletum, quum vero 9, <sup>5</sup> gr supra <sup>6</sup> frigori merito adhuc adnumerarentur, media frigoris vehementia erat

= 22, <sup>7</sup> gr.

Media frigoris intenissimi proportio caloris ab anno 1776 usque ad annum 1786 est paene sicut 300 : 186. Ab anno 1786 usque ad annum 1795 sicut 300 : 215 — Vtriusque medium itaque fere sicut 3 : 2.

Maximi caloris medium iisdem ipsis annis vix non 24 gr. supra <sup>7</sup> fuere: subtractis iam 9, 6 gr. ad frigus pertinentibus, restant adhuc dum 14, 4 gr pro caloris vehementiae medio.

Frigoris itaque ad calorem proportio ratio-  
ne intensitatis est sicut 22, 7 : 14, 4; hoc est paene sicut 3 : 2.

Durationemquod attinet, annum elegi 1772, quo frigus non infra 9 gr. infra <sup>6</sup> delapsum fuerat; Calor autem ad 26 gr. supra <sup>7</sup> increuerat. Dies computans, quibus Mercurius 9, 6 gr. non superauerat,  $7\frac{3}{4}$  menses dierum frigidorum inueni,  $4\frac{3}{4}$  menses itaque pro calore supererant. Frigoris itaque ratione durationis ad calorem proportio erat sicut  $7\frac{1}{4} : 4\frac{3}{4}$ , Calculo autem hoc proportioni supra statutae, nempe sicut 3 : 2 propius accedente, nos <sup>5</sup> frigori magis

expo-

expositos esse quam calor, inde conclusi. — quum autem annis decem haud diu elapsis intensius frigus, calorque vrentior nos inuaserit, ex his quoque medium eruere studebam; Inueni sicut 24, 5: 15; proportionem eapropter paulo maiorem, quam 3 : 2. — Ventorum ad inuicem proportionem quod concernit, media proportio, si ex septem annis sc. 1770, 71, 72, 80, 89, 90, 91 venti intermedii in ventos cardinales reducantur, sequens est :

S	N	O	W
153, 5.	105, 5	49, 0	45, 3
vel 5, 1.	3, 2	1, 6.	1, 5

Hisce quippe annis austrum frequentissimum fuisse, huic ratione frequentiae aquilonem, dein eurum, zephyrum denique succedere, exinde elucet. Hinc vero nondum potest concludi, austrum frequentius spirare, quam alios ventos, imo iuxta calculum superiorius stabilitum ratione proportionis frigoris ad calorem atque respectu durationis aquilonem cum euro copiosius nos visitare, patet. Necesse igitur foret, viginti adhuc annorum calculum scrutari, quo in praefentia destituor.

A Q V A.

§. II.

Aqua pauca, fluuiatili aequa ac puteali haud caremus; Nam praeter Rechnisium, qui binis

binis vrbem nostram brachiis regionemque multis anfractibus permeat , aqua quoque puteali abundamus. Quodlibet paene domicilium fonte suo gaudet , inque viis publicis frequentes putei deprehenduntur , ornamento non minus , quam sanitati consulentes . — Nonne cereuisia nostra meraca aquae miti laudes , quibus apud exterios extollitur , maximam partem debet , eamque ob rationem nonne apud ciues nostros calculorum genesis rarior , ac eorum vitae ratio innuere videtur ?

§. 12.

Omnis vrbis plagae aqua potabilis gaudent; Verum non eiusdem vbique bonaे notae est. Vrbis enim pars collibus innixa aquam babit puram , gelidam , duram , aquas salientes & montanas , vrbis vero inferioris fontes mollem maximam partem , minus puram aquam souent , minus sapit , minus reficit , non adeo sitim restinguunt - in vasis diu asseruata crustam depositit albescensem , limosamque cum oleo Tatarri per deliquium mixta nebulam induit , partculis calcareis conflatam , longius in vasis retenta , odorem saporemque induit putrescentem. Quas quidem proprietates fontes a Rechnisio , cuius aquae mites & limosae sunt , participare , non est dubium , quem omnes om-

nino

nino cum eo iuncti sint. Sic animaduertitur , tempore sicco , quando fluuius paucas in strato suo vndas volvit , fontes quoque exsiccati , vel saltem pauciores aquae copiam condere , tempore contra pluuioso , quando flumen turgidum euadit , fontes non tantum iterum impleri , sed etiam aquam turbidam , lutosamque condere , fluuiatili apprime similem . Tristis inundationis funestae epocha hac super re certissimos nos reddidit . — Ciues hafce aquae do tes minus gratas arena , sale culinari , nitro , cineribusue , quae quibusdam temporibus fon tibus adiiciunt , corrigere student .

§. 13.

Plurimi vrbis fontes patuli olim putei fue re ; Verum quum non raro heterogeneis va riis , quae vel casu illabebantur , vel homi num malitia aut petulantia iuicere suasit : e.g. animantibus mortuis conspurcarentur , ine briatus deliransue sponte vel hominum malitia in hisce puteis diem obiret , ipsi denique variis tempestatum iniuriis necessario affici deberent , huic salutis publicae scopo attentionis plus dicabatur ; Non tantum enim eiusmodi fontes repetitis per annum vicibus purgantur , sed etiam magna eorum pars in fontes antiis

in-



instructos immutabatur; Ad quod quidem aetatis, in qua iam viuimus, genius, qui & emendandis & condecorandis antiquis inuigilat, a prime contulisse videtur. Dummodo reliqui quoque fontes patuli exoptandam hanc metamorphosin cito citius subirent!

#### VITAE RATIO.

§. 14.

Opima mehercle ciuium meorum in genere vitae methodus est; magnam eorum partem vigens saeculi nostri luxus ita corrupit, ut omnis generis productis, quae regio affatim progignit, non acquiescant, sed exteris quoque e regionibus varia cupediarum genera magno sumtuum dispendio aduehi debeant. Primae classis ciues, cui nummis quoque valentes ad numero, lautae admodum artificialique vitae methodo indulgent; cuius quidem rei in testimonium insignis vinorum, aromatum, pisciumque exoticorum numerus in calculum vocari debet. Ipse quoque, cibos praeparandi, modus a naturali minus fucato admodum aberrat, aromata exotica inimico insuetoque in corpus stimulo agentia larga manu cibis immiscuntur; inde fit, vt ope stimuli praeternaturalis non tantum iusto nimia ciborum copia gulae intrudatur, sed praeternaturales quoque

cor-

corporis humani affectiones nascantur , aut saltem periculosisima morborum feminia spargantur . A quo quaeso fonte dispnoeae , flatus sic dicti ( vapeurs ) a prandio proficiuntur ? Et insignis molestiarum haemorrhoidalium numerus , nostros inter ciuium coetus tam frequens , aliorumque morborum chronicorum e. g. podagrae , arthritidis soboles peruersae huic vitae methodo primitias debent . Verum ciuium meorum laudi lubentissime fateor , aromatum aliorumque exoticorum usum sensim obsolefcere , plantasque nostrates , aromate nobis plane conueniente gaudentes in usum vocari ; natura enim cuiilibet zonae alimentis cupediisque arridentibus larga manu prospexit . Crumenae itaque aequae ac ciuium sanitati consulit , si eliminata maximam partem exterorum faragine ciues nostratis acquiescant , quorum tanta copia e terrae nostrae viseeribus propul lat . Sed & larga sat copia varii generis cibi ingurgitantur , iusto longius mensae accumbi tur , hinc duplex malorum origo .

§. 15.

Quae de esculentis dixi , de potulentis quoque contendи possunt ; Vina exotica cuiuscunque generis bibuntur , quae eo maiorem sanitati noxam adferre debent , quum paucim-

man-

mangonifata lentescenti veneno corpus ener-  
uent. Dolores a calculis, haemorrhoides, arth-  
ritis aliaque vitae humanae flagella frequen-  
tissimi horum potulentorum abusus comites  
existunt. Vina exotica eam ob causam, pri-  
usquam venalia exponuntur, a medicorum se-  
natu disquirantur necesse est. Praeter vina,  
Caffee, Thee, Chocolade, Punsch, aliaque  
huius generis potulenta scyphis sat largis hau-  
riuntur; In vespertinis sexus sequioris coeti-  
bus potus Theei- & Caffeeiformes forbillantur,  
chlorofin, fluorem album, aliosque huius fa-  
riniae morbos progignentes, eoque magis, si  
vasa, quibus potulenta haec incoquuntur, cu-  
prea potissimum stanno non sufficienter obducta  
fuerint.

§. 16.

Media ciuium classis non minus, quam pri-  
mae conditionis ciues luxui indulgent, quum  
vrbs & regio alimenta larga copia, iustoque  
pretio suggerant, ipsique ab incunabulis iam  
lauto adsuecant vietui. Omnes omnino ciues,  
mediocris quoque conditionis bina indies vice  
calidos meliorisque notae cibos commedunt;  
Consistunt potissimum ex oleribus, piscibus,  
farinaceis, & carne, quam coctam assatamque  
quauis die dominica aut alio per septimanam die

B

com-

commedunt ; Cereuisia subfuscata potus loco  
vtuntur , quam largius non raro gulae immit-  
tunt. Ciues itaque in media viuendi conditio-  
ne positi haud vili pabulo vescuntur ; Maxi-  
ma eorum pars , quanquam diuitiis haud afflu-  
ens , paupertatis tamen catalogum haud subit.

§. 17.

Perfrictae frontis homines , ciues nostros  
Baccho iusto nimis ad animi corporisque deli-  
quium usque indulgere , afferere conantur ; infi-  
cias ire haud possum , quasdam eorum classes  
e. g. hortulanos , operarios diebus praecepue-  
festis ex cereuisia crapulam haurire , altera au-  
tem ex parte potui Caffee aliisque potulentis  
spirituosis , quemadmodum in affinibus regioni-  
bus fieri amat , quae & crumenae & corpori la-  
bem inferunt longe maiorem , eos deditos non  
inuenies , quanquam varii generis luxus iis ipsis  
ciuium classibus pedetentim subrepatur. Hinc  
morum quaedam corruptio , hinc has inter ci-  
uium classes coniugia parciora , sterilioraque  
fieri videntur.

§. 18.

Cereuisiae crassae , mucosae , non semper  
rite lupulatae potus non tantum corpoream ci-  
uium constitutionem modificat , quum hocce  
potu-

potulentum admodum nutriende large ingurgitatum crassa, mucosa, pinguia reddat corpora, sed laeta quoque ut plurimum inde digestione, mucosaque, quae gignitur, humorum diathesi, in censem vocatis diues morborum debeat oriri copia. Morbi quoque mediae & inferioris populi classis charaktere mucoso ita insigniuntur, ut prauae conditionis cereuifiae nimium potatae influxus illico illucescat.

## §. 19.

Inter potulenta vsus decocti Caffee & quidem vilioris, non raro eichorei radice, hordeo aut sisaris mixti perperam inter populum increbuit; inter egenos quoque perplures & quidem femellae potu Caffee in alimenti vicem vtentes binis, vel repetitis per diem vicibus eum forbillant, accedit vita earum sedentaria & diaeta farinacea maximam partem excarnis, quae morbos perplures procreent, necesse est. Saeculi nostri moribundi genio irascor, cernens, nostros inter hortulanos ditiores saltem prauam hanc, potum Caffee forbillandi, consuetudinem adolescere; quid enim genti duris addictae laboribus magis obest, quam potus, vires vitae hebetans, atque per id ipsum ad morbos disponens, quorum nomina in opulentiorum aedibus tantum audiuntur?

B 2

§. 20.

## §. 20.

Quum ieunium plebem inter feroare zelotico obseruetur, ipsos quoque cibos esuriales considerare oportet. Plebs piscibus, praecipue vero farinaceis, quae omni carni longe anteponit, auidissime vescitur. Farinacea autem, rudiora praesertim, largus leguminum solanique tuberosi esus licet a laboriosis absque nato inde insigni incommodo digerantur, aegre a sexu sequiore feruntur, qui eodem, quo mares, appetitu eadem deglutit, vitaque vtens maximam partem sedentaria vario modo sanitatem suam fallit; Ventriculum etenim aequac intestina gluten tenax oblinire debet, siveque vacillantibus viribus concoctricibus, atque nutritione inde depravata frequentissima multorum malorum origo euadere. Salpas praeterea, halecesque larga admodum copia plebs commedit, quibus non raro vel temporis diurnitas vel tempestatum iniuriae labem induxerunt. Ne autem corrupta eiusmodi alimenta plebi vendantur, magistratus caueat.

## §. 21.

Latissimus hic de vestium luxu, de incommodis, quae parit, si nempe vestimenta tempestatum vicissitudinibus non rite respondeant,  
vel

vel nimis stringant, , atque partium simetriae minus arrideant &c. differendi campus pateret, nisi a praefixo scopo aberrarem. Id vnum tantummodo silentio non praetereundum esse putto, quod multa ex non iusto vestium vsu in ciuium sanitatem mala redundant, quum hae in sexu praeprimis sequiore passim leues inimicis temporum mutationibus non sint accommodatae. Quo quidem ex fonte tam frequentes morbi rheumatici, facta quacunque aëris mutatione propullulant, quibus sequior sexus tantopere obnoxius est.

§. 22.

Omnis ciues infimae praesertim & medio-cris conditionis feruida conclauiamant. Horum in censum hortulanii nostri, vtilissima sane subditorum classis, apprime recenseri merentur; Qui quidem citra dubium a magna morborum caterua obruerentur, nisi a primis iam incubabilis cuiilibet aëris & temporis iniuriae adsuefacti dura admodum vitae methodo vterentur. Non infreuentur horum hominum in contuberniis tempore hyberno legumina congelata, quin etiam vacca parturiens deprehenduntur paucis, quaelibet negotia foris agenda hic tractantur. Hinc generatim morbi a perfrigerio, exaestuatione & aëre deprauato frequentissimi

B 3.                   funt,

sunt , minus contra ii , qui ab errore diaetae oriuntur , nisi ipsis alimentis vitium insit , aut otio ab his vel illis hyeme praeferunt nimis indulgeatur . Senilia hinc corpora laticem vitalem auram lento veluti gradu sufflaminantem inpectoribus coquunt , asthmate anguntur .

§. 23.

Munditiem sanis aequa ac aegrotis emolumenta quam maxima conferre , pulchrae huic virtutis cultores conuincere nos possunt . In vrbe quoque mea patria munditiei publice priuateque studetur , feroore ni batauico , non minore tamen , vt atro immunditiei calculo notari mereatur . Sic viae publicae ab hominibus huic negotio destinatis , semel saltem per septimanam , repetitis quoque , si tempestas iuss erit , vicibus purgantur ; laudandus insuper mos est , viam ante ciuis cuiuslibet aedes die semper Sabathi purgari . Intra aedium quoque spatia a superiore atque maximam partem media populi classe munditiae apprime colitur . Verum aliter omnino plebei sentiunt , spurciis variis squalentes , ad quorum intuitum animus horret ; hinc non mirum , varios affectus cutaneos inferiori populi classi proprios esse . Orphanotrophaea ni deterius , saltem haud multo

multo melius hoc respectu comparata esse do-  
leo ; iure omni scrophularum, rachitidis, va-  
riorumque exanthematum chronicorum origo  
accusantur.

§. 24.

Quibus quidem omnibus rite pensatis fa-  
cile quis in causas poterit inquirere, cur Fran-  
coniae superioris incolae antiquis generis sui  
auctoribus corporis robore, & insigni magni-  
tudine non amplius sint similes. Obstupescet,  
historiam Franconiae antiquorem si quis atten-  
te peruvuerit, cernens, tantum antiquos in-  
ter & modernos Franconiae incolas discrimen  
intercedere; Armatura, qua antiquus Franco-  
niae gladiator in arenam descendit, a quatuor  
aevi nostri vix potest in sublime tolli, tanto-  
pere a physico parentum nostrorum robore ab-  
alienauimus. Neque eo fecius respectu alia-  
rum gentium Franconiae superioris incolae fa-  
nam robustamque constituant hominum clas-  
sem, media magnitudine lateribusque firmis  
excellunt. Aetas iuuenilis formosa cernitur,  
sequior praeprimis sexus. Aetate virili vterque,  
mediae potissimum populi classis, sexus a ni-  
mio cereuifac potu crassitatem insignem contra-  
hit, laxioremque corporis habitum; rosea fa-  
cies albescit, euadunt ventrosi, id quod puel-  
lae antea formosae aniculae formam conciliat—

Se-



Sexus virilis circa annum decimum septimum vel vigesimum pubescit, sequior annum circa decimum quintum. — Incolarum felicitatem ex hominum copia poteris metiri, licet mortalitatem abortus frequentes, quos aevi nostri indoles indies augere videtur, increvens aetatis infantilis debilitas, rachiticus corporum habitus, variolarum strages, quarum inoculatio adhucdum pertimescit, tussis infantum conuulsiva, aliisque morbi, quorum feminia sinistra infantum educatio spargit, aliaque plura insigniter augent; Attamen populi multitudo indies incrementa capit. — Puellarum maior quam puerorum numerus sicut ubique gignitur; Mortalitas autem puellarum maior quam puerorum — Per pauci admodum naturalem mortem moriuntur, plurimi vix non omnes morbis necati obeunt. — Maxima, quam viuunt, aetas est 80 — 82, nonagenari ad raros, ad rarissimos centenarii casus pertinent. Plurimi annum inter 50 & 60 spiritum efflant, faeminae inter 40 & 50. Hinc si quis saeculum nostrum cum priori comparauerit, quo nonagenari centenariisque non adeo rari fuere, facile quis poterit concludere, physicum nos inter robur admodum oboleuisse. Et mehercle non mirum considerata vitae nostrae antiquiorumque methodo, quae si ita perduret, nos in pygmaeorum

orum classem quondam numerari posse, verisimilimum mihi videtur.

§. 25.

Licebit mihi iam de ciuium meorum moribus eorumque charactere pauca quaedam delinare, quum mores tam intimo cum physica conditione vinculo nequantur. Homines in genere obuios, benignos, candidos, fucum quemlibet spernentes, fidos, ingenuitate excellentes germanica, ad negotia solidiora in primis factos, in negotiis peragendis aliquatenus segnes, difficilesque inuenies. Regio, necessaria quaelibet large procreans, cereuisia animi lentorem inducens ad hunc ciuium meorum characterem nonnulla conferre, nullus dubito. Educatio quoque, quae maximam quidem partem adhuc simplicissima artificii nihil continet, huc facere videtur, licet saeculi nostri genius educationis methodum fabricare atque varias corporis ingenique imbecillitates inducere videatur. Sic infantis ingenii aciem miramur, vires corporis fractas dolemus.

M O R B I,

§. 62.

Optimum in ciuitatis cuiusdam morborum cognitionem veniendi remedium mortuorum tabel-

tabellae bene institutae sunt ; quibus vero quum destituar , quilibet conamen meum in ciuitatis nostrae morborum schemate describendo aequi faciet. — Ciuium corporibus firmis gaudentium atque in climate admodum salubri habitantium sanitas proba sit necesse est , atque citra omne dubium firmiori fundamento niteretur , nisi ex vitae methodo luxuque omnes iam classes occupante larga gigneretur morborum cohors. Verum non eadem semper morborum messis ; hoc anno frequentiores periculosioresque , alio parciores mitioresque deprehenduntur. — Morbi endemii nulli.

Morbi epidemici admodum rari , sique nos infestent , non adeo maligni. Quam arcto hi quoque morbi cum regnante constitutione annua vinculo nestantur , videre licuit in Epidemia 1789 superius vrbis inferioris suburbium occupante. Non superfluum duco , eius imaginem paucis hic delineare , quum constitutiōni nostrae luminis aliquid affundi posse mihi videatur.

§. 27.

Autumno primo , qui praegressa aestate admodum feruida coelo continuo pluuioso excelluit , primordia cepit , hortulanos , pauperes , operariosque inuasit , indies increscens , quin hiems

hiems insequens aggerem opponeret, mense demum Martio 1790 extincta est. Caeterae vir-  
bis regiones liberae mansere, nisi quis ex sub-  
urbio, quod epidemiae genius flagellabat, fe-  
minia secum attulerit. Malignitatis notam in  
genere non meruit, illis exceptis, qui morbi  
primordia vel neglexere, vel sinistris medica-  
minibus, vel carnifice, cuius nocium perplu-  
res auxilium quaesiuere, aliis medicastris in  
consilium vocatis peiorem reddiderunt. Ipsa  
autem epidemia diuersis temporibus diuersa,  
aliam autumno, hieme aliam laruum praefe-  
tulit, constans & vniuersalis eiusdem chara-  
cter bilis & pituita erant, quae diuersis in sub-  
iectis diuersum lusum lusere; symptomata cum  
synoche putri communia habebat, lumbrici  
praeterea cum sedibus euacabantur, plurimi  
petechiis morbillosis in omni cutis peripheria  
tecti erant, milliaria insuper alba, & quidem  
magna admodum copia, morbo vtut sibi reli-  
cto vel arte tractato, cernebantur; quae si iu-  
sto tempore & simul eruperint, insigniter inde  
morbus leuabatur, petechiis vero lento & pe-  
detentim vel neutiquam propullulantibus in-  
signe aegri periculum subibant, raro admodum  
metaстases aegros vindicauere. Aliam haec epi-  
demia hyeme inque plethoricis formam induit,

ad-

aderant deliria atque alia febris inflammatoriae symptomata , petechiae in eiusmodi subiectis colore passim purpureo terrebant . Talis erat epidemia 1789.

Morbi stationarii ignotam agnoscentes causam oppido rari.

Primarius vniuersalisque morborum character in bile & pituita consistit; quod autem quo facilius illucefcet , morbos annuos volanti iam calamo describam , qui eo magis attentionem nostram merentur , quo frequentiores sunt , & quo citius auxilio nostro egent.

### §. 28.

Hyems , si intense frigida fuerit , frigusque aliquod tempus perdurauerit , morbi inflammatorii nos visitant e. g. pleuritides , peripneumoniae &c. Verum pure inflammatorii adeo non sunt , vt potius cum sordibus gastricis sint mixti , idque eo magis , si hyems humida & nebulosa , autumnique praegressi temperies eiusdem indolis fuerit . Quo quidem in casu venae-fectiones , vtut indicari certo respectu videantur , parcius adhibeantur necesse est , nisi in putridam aegri conilicantur . Vesicantia , alias in morbis pure inflammatoriis nocua , prae-sentaneum hic auxilium spendent.

Vere

Vere tertianae agmen ducunt, quae, hyemi proximiores, ad continuas magis accedunt, indolis plerumque biliosae, nonnunquam pituitam admixtam habent, si hyems praegressa humida fuerit. Hae intermittentium species cortice rarius indigent, quam aliae.

Aestate morbi biliosi latius dominium suum exercent; mixta admodum morborum cohors! Modo tertianarum e numero, quo propiores veri fuerint, modo quartanae euigilant, aestate autumno proxima. Quo feruidior autem fuerit aestas, eo magis ad continuorum classem pertinent. Feruida admodum anni elapsi 1794 aestate maxima morborum pars ad continuorum numerum referri potuit; aderat incredibilis ad sudandum proclivitas, atque in omnibus paene aegrotantibus petechiae in primo iam morbi stadio cernebantur, quin mali quid protenderent, aut morbum soluerent. Autumnus quartanas aduehit eo contumaciores, magisque rebelles, si aestate feruida vires insigniter deiectae fuerint, ipsoque autumno tempestas humida nebulosaque praedominetur; eandemque ob causam putridae hanc amant anni partem. Dysenteriae quoque non infrequenter occurunt, maximam partem biliosae. Male aegris consuleret, qui hisce in casibus absque

prae-



praemissis praemittendis opio morbum hunc extingueret vellet.

§. 29.

Quas quidem febrium species peioris notae symptomata comitari haud solent , vti nec ipsae insigne periculum portendunt; Sic intermittentem malignam , soporosam nullam vidi : Exanthemata varia e. g. vrticatum , scarlatinofum frequentius iisdem annexa sunt, vnde biliosa morborum horumce indoles elucere mihi videtur. Putridae petechiis milliariisque vix non semper sifpatae periculo non carent, praeципue si in subiecta laxa inciderint , aërisque temperies calido - humida diu corpora lassauerit. Plebei hoc morbo correpti ob nimiam , qua plerumque turgent , muci copiam milliariis passim teguntur , serius quoque ab hoc morbo reconualecentes vires suas colligunt. Millaria critica vidi , petechias non item.

§. 30.

Chronici adhucdum morbi supersunt, quos si hic describere vellem omnes , arctos dissertationis cancelllos transgressurus essem; Sufficiat igitur , quosdam eosque frequentiores hic allegare , exceptis illis , quos contextui interdum inserui.— Haemoptoicorum nos inter magnus nume-

numerus est , sexus tamen virilis magis quam sequior ad haemoptoēn pronus est . Superata iam aetate virili incolumes euadunt eiusmodi haemoptoici , secus aetas vegetaiiuenilis , quam passim in phthisin coniicit . Quasdam praeterea inter familias haemoptoe haereditariam plagam efficit .

Sequior sexus , in primis sedentariae vitae addictae medorrhœa vel fluore sic dicto albo valde cruciantur , per annos non raro sibi medicisque sunt flagella ; Anomalia mensium frequentior , quam fluxus mensium nimius .

Infimae populi classis infantibus communis infirmitas ea est , quae ab intestinibus vermis proficiscitur ; Debetur autem horum inquilinorum hostium prouentus maximam partem caseo foetido , putrido , tenacioribus pulmentis , laeticiniis atque farinaceis cibis . Mirum sane , hos inter iuuenum coetus motus epilepticos tam raros esse . Verum adultiores quoque inquilinos hos hostes condunt , taeniam tamen rariorem , lumbricos copiosiores animaduertere mihi licebat .

Iterus modo febrium symptoma , modo proprius morbus existit ; Idiopathicī causa saepius in glutine tenaci , ductus biliares obturante , quam in calculis aliisue causis quaerenda est .

Sy-

Syphillis quoque hydra laerneā, corpus an-  
imamque veneno suo inficiens minus late fer-  
pit , quam in locis , vbi numerosi milites ni-  
dulantur. Gonorrhœa aliquie vitae luxurio-  
sae comites haud quidem rara aus , verum  
non raro eiusmodi morbi , in incunabulis faci-  
le suffocandi , incrementum capiunt , chronicamque  
medelam exigunt , quippe quum barbitonorum eiusque generis homuncionum mede-  
la diu saepe incassum adhibita , medicus sero  
nimis in consilium vocetur . — Caries plures ,  
quam credi potest , exedit ; Ad causas refero  
malam inflammationum topicalarum ulcerumque  
cacoëthorum tractationem , id quod frequen-  
tius ruri quam in metropoli fieri amat . — Hy-  
dropis variae species perplures iugulant , ad  
quas nostra vitae methodus corpora mirum in  
modum disponere videtur ; Verum maiorem  
numerum intermittentes , quartanas potissi-  
mum vel sinistre tractatas , vel sibi plane relictas obseruaui. Inter morbos chronicos Phthisis  
in primis excellit , nulli sexui , aetatisque par-  
cit , iuuenes tamen præ viris , præ faemini  
mares morbo huic obnoxios esse animaduerti:  
Causis procatarcticis adnumerari possunt potu-  
lentorum , præcipue vero cereuifiae , farin-  
aceorumque abusus , vita sedentaria (quae quo-  
que

que febrem lentam , pituitosam , neruosam , nostras inter femellas adeo celebratam progignere videntur). Ad causas magis proximas recenseri merentur haemoptoe , mensium haemorrhoidumque suppressio , potissimum autem catarrhi neglecti aut male tractati ; Id quod hoc anno videre licuit , phthisicis tam fertili : Catarrhi quippe autumno humido , aërisque temperie vario modo alternante orti , a nimio hyemis insequenti frigore exasperati peri-pneumoniae quoque hoc anno frequentiores quam alio , in triste hoc morbi genus degenerauere. Graciles cum laxa pulmonum fabrica , ne catarrhos , quibus prae aliis obnoxii sunt , negligant , aut eorum curam barbitonforibus credant , hoc loco monendos esse puto.

Puerperae variis morbis , quos alibi obuios legimus , liberae manent , ipsamet febris puerperarum , toties iam decantata , rara admodum , sique adsit , indolis plerumque gastrico-putridae cernitur . — Plebeiae , & potissimum hortulanæ nostræ , quanquam iumentorum saepe saepius vices suscipiant , tamen absque villo inde nato detimento partus suos edunt , atque puerperium tribus quatuorue diebus ut plurimum finiunt , formositatem autem citius ,

C                                  quam

quam alibi amittunt, hinc veterinarum nec numerus nec finis.

§. 31.

Difficile vero est, plebeiorum morbos a primis ipsorum inchoamentis iam perturbatos, obseruatione prosequi, quippe quum non tantum omnem medicinam, nisi grato simul sapore ipsis arrideat, abhorreant, eiusque, nisi extemplo leuamen perfentiscant, reiterationem recusent, cane peius & angue auersentur, sed etiam vnguentario antea diu in consilium vocato, sicque auxiliaticibus naturae viribus summopere prostratis Medicum arcessant, citum iucundumque morbi leuamen sperantes. In aere spurciis variis inquinato, in numero saepius sodalitio aegri, ab interno igne vsti, recubare solent, reliquaque contubernantium turba nullo plane modo moueri potest, ut calorem conclauium infernalem commodo aegrorum suorum moderent. Si multum obtinueris, vnam alteramue fenestrarum, dum praesens es, aperient. Si tibi nunc aegrum cogites, quem morbus vinclum tenet, anxietas, capit's dolor, aestus vel debilitas angit, sub contuberno obmurmurantium, interdum rixantium, in pessimo olentium ciborum, madidorum ve-

sti-



ſimentorum aliarumque impuritatum vapore,  
non procul ab ignito fornace recubantem:  
quid quaeſo exspectandum erit aliud, quam  
ruinae ex imo versae naturae?

CVRA PROPHYLACTICA.

§. 32.

Late diffusus est mos, cura ſic dicta preeferuatiua vti, quae in eo conſiftit, vt repetitiis per annum vicibus, frequentius vere & au-tumno vena mittatur, & laxantia rudiori paſſim ſtimulo in corpus agentia gulæ intrudan-tur; Purgantia autem, fi alias arrideant, draftice agant, neceſſe eſt: Sedibus ſexies aut ſepties poſitis haud acquiescitur. Illa autem medicina vomitum aequa ac ſedem excitans, idque frequentius, ſummis extollitut enco-miis. Hunc autem methodum ſubiectis laxis, irri-tabilibus, vinoque indulgentibus detrimen-tum quam maximum afferre, ecquis non vi-det, medicinam vel primis labiis qui gustauit? — Medicamina ciuitate donata, quae paſſim cuilibet morbo initianti opponuntur, ſunt pulueres temperantes, Marggrafiani, la-pides cancerorum praeparati, fudorifera, alia-

C 2

que,

que, hisque non profcientibus, vena mittitur, cucurbitulae applicantur, quibus quidem iterum incassum adhibitis medicus demum in consilium vocatur, viribus vitae, ruinae iam proximis, miraculum ex tempore patratur.

POSI-



## POSITIONES.

1. Castior humorum pathologia amico cum  
neruorum pathologia vinculo iuncta  
felicem praxin promittit.
2. Stricte sic dicta abortum promouentia non  
dantur.
3. Venena a medicamentis non natura sed dosi  
differre, analysis chemica atque obseruatio  
confirmant.
4. Acida in morbis biliosis rarius, quam adhi-  
beri solent, conducunt.
5. Remedia prophylactica aduersus blennorha-  
giam, syphilitidem, aliasque huius farinae  
morbos medicaster suadebit.
6. Blennorrhagia virulenta in syphilitidem dege-  
nerare potest.
7. Morborum venereorum laruatorum existen-  
tiam dubito.
8. Signum characteristicum, quo medorrhoea  
a blennorrhagia discrepet, non datur.
9. Nulla febrem inter variolarum eruptionem  
concomitantem, variolarumque numerum  
est proportio.

10. Omnia remedia adstringentia sunt antisep-tica.

11. Non perinde est in morbis pudridis, sive corticem peruvianum, acida mineralia, camphoram, arnicam, contraeruam, vinum, moschum, aliae adhibeas.

12. Aegrum morbo epidemico contagioso la-borantem corpore aestuato adire, melius habeo.

13. In Hydrothorace fortia diuretica nocent.

14. Funiculi vmbilicalis deligationem necessa-riam habeo.

15. Abortus, quoconque gravitatis tempore cogetur, semper erit homicidium.

16. Erysipelatis causa sufficiens adipis corrup-tio esse videtur.

17. Vesicantia, fonticuli &c. irritando tantum, non vero materiam morbosam euacuando profund.

18. Schmukeri fomenta consueto more adpli-cata id, quod deberent, non praestant.

sept.  
fiue  
am-  
um,  
la-  
lius  
ent.  
ffa.  
ore  
rup-  
um,  
ndo  
pli-

**FINITA DISPVTATIONE**

et quidem hora decima

e r i t

**DOCTORALIS PROMOTIO.**

---

Literarum , literatorumque Moecenates,  
Patroni , Fautores , atque Amici  
ad e s t e i n v i t a t i .

---

*Quaestiones inaugurales*

**D. PRAESIDIS ET PROMOTORIS.**

Qualis est nostra educatio physica orphanorum,  
praecipue nothorum ? nihilne in ea defide-  
ratur ?

Occasione 1. 19 & 22. C. de sacrofanc̄t. Eccles.  
L. 35. C. de Episc. & Clericis, l. 3. 4. C. de  
his, qui infant. expon. , & qui sanguinolen-  
tos nutriendos acceperunt.

**D. NEO - DOCTORIS.**

Quaenam sunt Bambergensium praeiudicia in  
relatione ad sanitatem vel conseruandam ,  
vel restituendam ? quomodo iis occurren-  
dum ?

---

## **LITERATURA ETATLANTICA**

critic and nothing to

三五〇

## DOCTORALIS PROMOTIO.

«Библиотека М. Суркова»

*Thalassia* & *Lemnaceae* *Silene* *Amar*

## Assignment 6

संविद्युति तापोद्धृतः

D. TRAVESTIE ET PROMOTORES.

*Quod est ergo nisi sit ratio per quam invenimus  
rationes et rationes invenimus? Quia rationes sunt*

Options 1 to 6, C. 1 to 10, L. 1 to 10

The author of the present paper wishes to thank Dr. C. E. Clegg for his permission to publish this note.

and in the first epoch, & so on.



ofini-  
t, nec  
cipiu-  
cath-  
eclesiis.  
s pecu-  
ide pa-

auitam  
Refor-  
a obti-  
iam re-  
ribus &  
n talis-  
reditum  
elgiofo  
ntum &  
orman-  
obilitati  
em ve-  
lam iu-  
Prote-  
um ter-  
oni sub-  
i in pri-  
biciun-  
de con-  
raesup-  
Imperi  
r votum  
quoque  
io Ius  
eruantia



**ULB Halle**  
002 394 448

3



SH

VJ  
18


NDR had R





# Farbkarte #13

B.I.G.



S S E R T A T I O  
A V G V R A L I S M E D I C A  
D E  
L V B R I T A T E  
B A M B E R G E N S I .  
Q V A M  
A CVM PARERGIS EX VNIVERSA  
M E D I C I N A D E P R O M T I S  
E R O P T I M O M A X I M O A V S P I C E ,  
C O N S E N S V E T A V C T O R I T A T E  
B E R R I M A E F A C V L T A T I S M E D I C A E  
A L M A I M P E R . B A M B E R G . V N I V E R S .  
P R A E S I D E  
I . B A P T . D O M I N I C O F I N K  
A C M E D I C I N A E D O C T O R E , R E V E R E N D .  
S E S . S . R . I . P R I N C . E P I S C . B A M B . A . C O N S I L . A V L .  
T . P A T H O L . P R A X . V T E T M E D I C . F O R . P R O F . P .  
M . P A L A T . C A E N A R . A C A D . E L E C T . S C I E N T . V T I L .  
A E S O C I O , P R O V I N C . B A M B E R G . P H Y S I C O ,  
F A C V I T . M E D I C A E A D S E S S O R E  
P R O G R A D V . D O C T O R I S  
A N N E X I S P R I V I L E G I S A T Q V E I M M V N I T A T I B V S  
R I T E C O N S E Q V E N D I S  
E F E N D I T , A C P U B L I C O E R V D I T O R V M  
E X A M I N I S V B M I T T I T  
A V C T O R E T D E F E N D E N S  
J A N N E S B A P T I S T A K R A P P  
B A M B E R G E N S I S .  
B A M B E R G A E H O R I S , L O C O Q V E C O N S V E T I S .  
D e c e m b r i s A . R . S . M D C C X C V .  
is Ioannis Georgii Kliefch, Almae Univ. Typ.